

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Clementissimis Auspicus Fridericianis De Emphasi  
Sacrarum Vocab, Ex veteri Hist. Hebr. repetenda, publice  
cum aliis colloqventur**

Ad diem XII. Maji A. a partu Virginis MDCCIII. In Auditorio Theologorum

**Dassovius, Theodor Dassovius, Theodor**

**Kiloni[i], 1714**

**VD18 90523733**

Comma. V. Galat. 4. v. 6.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-10336**

peccati, qvæ primitias Spiritus certissime seqvantur,  
sicut hac primitias judaicas antecedebant.

## COMMA. V.

*Galat. 4. v. 6.*

### Abba Pater.

§. I.

**Q**ui adixerat Apostolus Galatas esse Dei filios, hinc dicit quod per Spiritum S. inhabitantem Deum vocare possint Abba. Non dicit Abh sed Abba. Nam nomen Abba magis estimabatur, & majoris indicium amoris erat, quam nomen Abh, siquidem servi & ancillæ dominos suos non audebant vocare Abba, licet vocare eos possent Abh, ut testatur Majmon. Operum T. 4. edit. minor Venet. tit. de hereditatis. c. 4. §. 5. ubi addit rationem propterea non vocasse dominos suos Abba, ne res esset offendiculo. Quid si autem servi essent botæ notæ, ut apud omnes illorū fama percrebuisse, tunc etiam hoc nomine Dominos potuisse appellare, quia hac ratione amabantur a Dominis, & habebantur optimo loco ad instar filiorum.

§. II.

Nomen Abba *Diedius in Epistolam ad Rom. c. 8. v. 5.* scribit denotare Patrem meum, sed licet interdum adhibetur loco Hebrææ vocis אב tamen etiam adhibetur loco Hebrææ vocis אבא sine suffixo scriptæ. Videatur *Elia Levite Metburgeman edit. Isnensis in fol. f. 1. p. 1.* ubi exempla allegantur. Sed Abba esse ejus-



ejusmodi vocabulum quo adoptandi sibi Patrem adscicerent, ut idem *Dievius* afferit, in eo assensum non meretur, quia hoc nomine filii naturales suos vocabant Patres, recte monente *B. D. Calvio Bibliorum illustratorum T. 2. N. T. edit. Francof. pag. 604.*

## COMMA VI.

*Ephes 5. v. 2.*

**Et tradidit se ipsum pro nobis, in oblationem & victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiae.**

§. I.

**O**blatio contradistinguitur victimæ, qvin etiam munus de panibus oblatum vocabatur oblatio, sed victimæ dicebatur oblatio de pecude & ave data, interim & munus & victimæ erant oblatio, si considererent prout in altari offerebantur Nam omnes res sacræ in altari exteriore oblatæ vocabantur oblationes, ceu docet *Abarbanel in Comment. in Legem edit. Venet. in fol. f. 226. p. 2.*

§. II.

Qvomodo autem se habuerint oblationes de panibus datæ, qvod vel publicæ vel privatæ fuerint, qvod aliquæ cum libamine vini conjungerentur, aliae eodem carerent, qvod privatæ in qvinqve dividrentur partes, qvod etiam ad munera panum pertinuerit manipulus paschalis hordeaceus de hordeo oblatus, & alia ejusmodi copiose ac luçulenter explicat

